



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De satisfactionis possibilitate. Quæstio 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

carata detestamur, à peccatis incipientes detestamur motum. Sed in cautela à causis incipimus, ut subtractis, facilius peccata vitemus.

Ad quintum dicendum, quòd non est incommodum quòd de eodem dentur diuersæ assignationes, quòd diuersa, quæ in ipso inueniuntur: & sic est proposito, ut ex dictis patet*.

* in corp. art.

Ad sextum dicendum, quòd intelligitur debitum quòd debemus Deo ratione culpe commissæ, quòd debitum pœnitentia respicit, ut prius dictum est.

† in corp. art. 1. q. prac. sub fin. † Concil. Trid. superior. q. indicat.

QVÆST. XIII.

De satisfactionis & possibilitate, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de possibilitate satisfactionis.

¶ Circa quòd queruntur duo.

¶ Primo, vtrum homo possit Deo satisfacere.

¶ Secundo, vtrum aliquis pro alio satisfacere possit.

ARTIC. I.

Vtrum homo possit Deo satisfacere?

32 Tho. ubi sup. ar. 2. * art. 2. q. 3. q. proced.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd homo non possit Deo satisfacere. Satisfactio debet æquari offensæ, ut ex dictis patet*. Sed in Deum commissæ est infinita: quia quantitas culpæ incipit ab eo in quem committitur, cum plus offendit qui principem percutit, quàm alium quem quis percussit. Ergo actio hominis non possit esse infinita, quòd homo Deo satisfacere non possit.

¶ 2 Præterea, seruus, quia totum quòd habet in domino est, non potest pro aliquo debito reddere. Sed nos serui Dei sumus, & habemus quicquid habemus ab ipso. Cum ergo satisfactio sit reparatio offensæ præteritæ, videtur quòd Deo satisfacere non possimus.

¶ 3 Præterea, ille cuius totum quòd habet in domino est, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quicquid homo habet in domino, & habet, non sufficit ad exoluendum

tum, p
quòd
Ergo n
fa com
¶ 4
in Dei
potest
tempor
mo reco
prius.
¶ 5
uius qua
satisface
pro actu
SED d
aliqui i
fit. Sed
fructus d
tisfacere
¶ Pra
quis hom
go & De
¶ Pra
tur: qui
Pythagor
assumere
contingit
RESPO
pliciter d
accepti, a
gratiarum
iusmodi,
factio resp
tem hono
secundum
reddere t
reddat qu
ualens, se

tum, pro beneficio creationis. Vnde. Iſa. 40. dicitur, quodd ligna Libani non ſufficiunt ad holocauſtum. Ergo nullo modo poteſt ſatisfacere pro debito offenſa commiſſa.

¶ 4 Præterea, Homo totum tempus ſuum debet in Dei ſeruitium expendere. Sed tempus amiſſum non poteſt recuperari: propter quod eſt grauis iactura temporis, vt Seneca * dicit. Ergo non poteſt homo recompensationem Deo facere: & ſic idem quod prius.

¶ 5 Præterea, Peccatum actuale mortale eſt grauius quam originale. Sed pro originali nemo potuit ſatisfacere, niſi Deus & homo eſſet ſ. Ergo neque pro actuali.

SED contra, ſicut Hieron. * dicit, Qui dicit Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, anathema ſit. Sed ſatisfactio eſt in præcepto, Luc. 3. Facies fructus dignos pœnitentiæ. Ergo poſſibile eſt Deo ſatisfacere.

¶ Præterea, Deus eſt magis miſericors, quam aliquis homo. Sed homini eſt poſſibile ſatisfacere. Ergo & Deo.

¶ Præterea, Satisfactio eſt, cum pœna culpæ æquatur: quia iuſtitia eſt idem quod contrapaffum, vt Pythagorici dixerunt. Sed contingit æqualem pœnam aſſumere delectationi, quæ fuit in peccando. Ergo contingit Deo ſatisfacere.

RESPONDEO dicendum, quodd homo Deo dupliciter debitor efficitur: vno modo ratione beneficij accepti, alio modo ratione peccati commiſſi. Et ſicut gratiarum actio, vel latria, vel ſi quid eſt aliquid huiusmodi, reſpicit debitum accepti beneficij: ita ſatisfactio reſpicit debitum peccati commiſſi. In his autem honoribus, qui ſunt ad parentes & Deum, etiam ſecundum Philoſophum *, impoſſibile eſt æquiualens reddere ſecundum quantitatem: ſed ſufficit vt homo reddat quod poteſt, quia amicitia non exigit æquiualens, ſed quod poſſibile eſt: & hoc etiã eſt æquale

*in lib. 1.
Epistolae
7^m, ep 1.
parum d
prin.
† 3. p. 9 2
ar. 2. c. 4
* in expo
ſitione ſi
dei ad
Damaſi
non reme
it à fine,
to. 2.*

*lib. 8. eth.
c. vii. à
med.*

I 2 ali-

aliqua, scilicet secundum proportionalitatem
quia sicut se habet hoc quod Deo est debitum ad
sum Deum, ita hoc quod iste potest reddere ad
Deum; & sic aliquo modo forma iustitiæ conferens
& similiter est ex parte satisfactionis. Unde potest
test homo Deo satisfacere, si ly Satis, æqualitatem
quantitatis importet. Contingit autem si impo-
æqualitatem proportionis, ut dictum est*: & hoc
cut sufficit ad rationem iustitiæ, ita sufficit ad ra-
nem satisfactionis.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut offensa
habet quamdam infinitatem ex infinitate diuina
iustitiæ: ita etiam satisfactio accipit quamdam
tatem ex infinitate diuinæ misericordie, propter
gratia informata, per quam acceptum redditur
homo reddere potest. Quidam tamen dicunt
habet infinitatem ex parte auersionis, & sic gra-
micitur: sed ex parte conuersionis finita est, &
pro ea satisfieri potest. Sed hoc nihil est, quia
factio non respondet peccato, nisi secundum quod
offensa Dei: quod non habet ex parte conuersionis
sed solum ex parte auersionis. Alij verò dicunt
etiam quantum ad auersionem, pro peccato satis-
potest, virtute meriti Christi, quod quodammodo
infinitum fuit. Et hoc in idem redit quod prius
est*: quia per fidem mediatoris gratia data est
dentibus: si tamen alio modo gratiam daret, fieri
ret satisfactio per modum prædictum*.

Ad secundum dicendum, quod homo qui ad
ginem Dei factus est, aliquid libertatis participat
quantum est Dominus suorum actuum per liberum
arbitrium. Et ideo ex hoc quod per liberum arbitrium
agit, Deo satisfacere potest: quia quamuis Deo
prouit à Deo est sibi concessum, tamen libere
ditum est, ut eius Dominus sit: quod seruo non
petit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa conueniens
quod Deo æqualens satisfactio fieri non potest.

*Cyp. tra.
de opere,
et elem.*

** in corp.
huius ar.*

*in respōs.
ad 1. hu-
ius art.
in corp.
art.*

autem quod non possit ei sufficiens fieri. Quamuis enim totum suum posse homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis, ut totum quod possit, faciat: quia hoc est ei impossibile secundum statum presentis vite, ut totum posse suum in aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa esse sollicitum. Sed est quedam mensura homini adhibita, quæ ab eo requiritur; scilicet impletio mandatorum Dei: & super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciatur.

Ad quartum dicendum, quod quamuis homo non possit tempus præteritum recuperare, potest tamen in futuro recompensare illud quod in præterito fecisse debuisset; quia non debuit debito præcepti totum quod potuit, ut dictum est *.

Ad quintum dicendum, quod originale peccatum, & si minus habeat de ratione peccati, quam actuale, est tamen gravius malum: quia est ipsius humanæ naturæ infectio: & ided per unius hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale.

ARTIC. II.

Utrum pœnam satisfactoriam possit vnus pro alio explere?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod pœnam satisfactoriam non possit vnus pro alio explere. Quia ad satisfactionem meritum requiritur. Sed vnus pro altero non potest mereri, vel demereri: cum scriptum sit *, Tu reddes unicuique secundum opera sua. Ergo vnus pro alio non potest satisfacere.

¶ 2 Præterea, Satisfactio contra contritionem & confessionem diuiditur. Sed vnus pro alio non potest confiteri. Ergo nec satisfacere.

¶ 3 Præterea, Vnus pro alio orando etiam sibi meretur. Si ergo aliquis pro alio satisfacere potest, satisfaciendo pro alio, pro se satisfacit; & ita ab eo qui pro altero satisfacit, non exigitur alia satisfactio pro peccatis proprijs.

I 3 ¶ 4 Præ-

53
Tho. 4. d.
20. q. vni
ca. ar. 2.
q. 1.
in corp.
art. et ad
4.
Psal. 61.

¶ 4 Præterea, Si vnus pro alio satisfacere potest, ergo ex quo vnus soluit debitum pœnæ, alius liberatur à debito. Ergo si moriatur postquam pœna sibi debita ab alio suscepta est, statim liberabitur: vel si adhuc puniatur, duplex pœna reddetur eodem peccato, scilicet illius qui satisfacere non potuit, & illius qui punitur in purgatorio.

SED contra, Ad Gal. 6. dicitur, Alter alterius onera portate. Ergo videtur, quòd vnus possit onera peccati alterius imposita, pro alio portare.

¶ Præterea, Charitas magis potest apud Deum quam apud homines. Sed vnus potest apud homines pro alterius amore debitum eius soluere. Ergo fortius hoc in diuino iudicio fieri potest.

RESPONDEO dicendum, quòd pœna satisfactoria est ad duo ordinata: scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. In quantum ergo est ad medicinam sequentis peccati, satisfactio vnus non prodest alteri: quia ex peccato vnus, caro alterius non domatur, nec ex actibus vnus alius bene agere consuevit, nisi secundum actum in quantum scilicet aliquis per bona opera poterit mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc potest per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad solutionem debiti, potest vnus pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, vt opera eius satisfactoria esse possint. Nec oportet quòd maior pœna imponatur ei qui pro alterius peccato facit, quam principali imponeretur, vt quidam dicitur hac ratione moti, quòd pœna propria magis nocet quam aliena: quia pœna maxime habet nocentiam satisfaciendi ratione charitatis, qua homo ipsam facit: & quia maior charitas apparet in hoc quòd vnus pro altero facit, quam si ipse faceret: ideo minor pœna requiritur in eo qui pro alterius peccato facit, quam in principali requireretur. Vnde dicitur in Vitis Patrum, quòd propter charitatem vnus

qui alterius fratris sui charitate ductus, pœnitentiam fecit pro peccato quod non commiserat, dimissum est etiam ei. Nec etiam exigitur quantum ad solutionem debiti, quod ille pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum: quia etiam si esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse à debito immunis esset. Sed hoc requiritur, in quantum pœna satisfactoria est in remedium. Vnde non est permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente: vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum: vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam.

Ad primum ergo dicendum, quod præmium essentialiter redditur, secundum dispositionem hominis: quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis diuinæ. Et ideo sicut vnus non disponitur per actum alterius, ita vnus alteri non meretur præmium essentialiter, nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cuius merito solo pueri per baptismum ad vitam æternam perueniunt. Sed pœna temporalis pro peccato debita, post culpæ remissionem non taxatur secundum dispositionem eius cui debetur: quia quandoque ille qui est melior, habet maioris pœnæ reatum. Et ideo quantum ad pœnæ remissionem, vnus alteri potest mereri: & actus vnus efficitur alterius mediante charitate, per quam omnes vnus sumus in Christo.

Ad secundum dicendum, quod contritio ordinatur contra culpam, quæ ad dispositionem bonitatis vel malitiæ hominis pertinet: & ideo per contritionem vnus, alius à culpa non liberatur. Similiter per confessionem homo se sacramentis ecclesiæ subiicit, non autem potest vnus sacramentum pro alio accipere; quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alij. Et ideo non est similis ratio de satisfactione, contritione, & confessione.

Ad tertium dicendum, quod in solutione debiti attenditur quantitas pœnæ, sed in merito attenditur

charitatis radix : & idèd ille qui ex charitate
 alio meretur, saltem merito congrui, etiam sine
 alijs meretur. Non autem qui pro alio satisfacit,
 pro se satisfacit : quia illa quantitas pœnæ non
 cit ad vtrumque peccatum: tamen satisfaciendo
 alio, sibi meretur aliquid maius quàm sit diuina
 pœnæ, scilicet vitam æternam.

Ad quartum dicendum, quòd si ipsemet ad alium
 pœnam se obligasset, non prius à debito esset
 liber, quàm eam soluisset : & idèd pœnam ipse
 meretur, quàm diu ille satisfactionem pro eo fecerit,
 si non fecerit, tunc vterque est debitor illius pœnæ
 vnus pro commisso, alius pro omisso : & ita non
 quitur quòd peccatum vnum bis puniatur.

QVÆST. XIV.

*De qualitate satisfactionis, in quinque articulis
 diuisa.*

DEinde considerandum est de qualitate
 satisfactionis.

¶ Er circa hoc quærentur quinque.

¶ Primo, vtrum homo possit de vno peccato
 facere sine alio?

¶ Secundo, vtrum ille qui de omnibus peccatis
 contritus fuit, & postea in peccatum incidit
 de alijs peccatis quæ sibi per contritionem
 missa fuerunt, satisfacere possit, extra charitatem
 existens?

¶ Tertio, vtrum homini postquàm charitatem
 valere incipiat satisfactio præcedens?

¶ Quarto, vtrum opera extra charitatem facta
 alicuius boni meritoria?

¶ Quinto, vtrum opera prædicta valeant ad
 infernalis mitigationem?

ARTIC. I.

*Vtrum homo possit de vno peccato satisfacere
 sine alio?*

54.
 Tho. 4. d.
 15. q. 1.
 ar. 3. q. 1.
 & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd
 possit de vno peccato sine alio satisfacere.